





DISSESSATIO IN AVGURALIS IURIDICA

1729,4

DE

MARITO  
HEREDITATEM VXORIS  
IN  
FRAUDEM CREDITORVM  
REPUDIANTE

QVAM  
ILLUVSTRIS IVRECONSUL'ORVM ORDINIS CONSENSV

SVB PRÆSIDIO

EXCELLENTISSIMI VIRI

AVGVSTINI LEYSERI  
IN AVLIS BRVNNSVICENSIBVS ET LVNE-  
BVRGICIS CONSILARIII, IN TRIBVNALI GVEL-  
PHERYTANO ADSESSORIS, IN ACADEMIA IVLIA IVRE-  
CONSULTI, ET h. t. DECANI AC PROMOTORIS  
MAGNIFICI

PRO LICENTIA

OBTINENDI SVMMOS IN VTRQVE  
IVRE HONORES ET DOCTORIS PRIVILEGIA  
IN HAC PERILLVSTRI REGIA ELECTORALI ET  
DVCALI ACADEMIA

VI. CALEND. IVNII MDCCXXIX.

IN IVLEO MAIORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

M. FRIDERICVS BALTHASAR HÜBLER  
CHEMNICENSES MISNICVS.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

DIESER TITEL IN DER KIRCHE VON KREBSEN

DE

# MARITO

HEREDITATIVM AYORIS

TRADITIONI CREDITORVM

REPADIENTE

UT VITRIS LIBEROS PATER ORBIS CONDUCE

SAB. X. JUNIO.

EXCEPTE LIBERTATIS VIRTU

AGASTHINI LYSERI

IN VITRIS BRUNSAECHEZAS ET LAV

BRANDICUS GONZILLVRI, IN TURKISHI ET ALVE

HEREDITATIVO DEDICATORI, IN ACADEMIA ITALIAE LATE

CONFERATI, ET E DEGENI AC TRADITORIS

MONACHI

# PRO VICTORIA

OBTINENDI SUMMOS IN UTROQUE

LAURE HONORES ET DOCTORUM TRIBUNALIA ET

IN HEREDITATIVI REGI ELECTORALI ET

DAECHI ACCEDAM

AL CALENDA IANUAR MDCCXXIX

IN VITRIS MATORI

HOC VITRIS LIBEROS PATER ORBIS CONDUCE

EXCEPTE LIBERTATIS VIRTU

LEIDPHICAS RATHASAR HAFER

HERMSTADII

TULI ET DE DILECTIS SINEOPHRIS AYPD TULLO



## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. *Iuris brocardicum est, quemlibet iuri pro se introducto renunciare posse.*
- §. II. *Sed multas haec regula patitur limitationes.*
- §. III. *Quas inter maxime quoque referendum thema Dissertationis.*
- §. IV. *Cum successio coniugum iuris civilis Romani variis modis circumscripta sit; hinc in pluribus Germaniae locis per singularia statuta specialiter hac de re dispositum est. Quid Saxonum iure obtineat, explicatur.*
- §. V. *Definitio portionis statutariae suppeditatur, indeque concluditur, quod pro debito necessario sit habenda, quodque coniugibus a tempore consummati matrimonii ius questum in illam competat, quod per testamentum alteri per alterum nequit auferri;*
- §. VI. *Bene tamen mutuo consensu, quo etiam pertinet, quando coniuges in pacis dotalibus vel certum aliquod lucrum sibi stipulati sunt, vel facultatem sibi reservaverunt, in casum mortis libere de bonis suis disponendi.*
- §. VII. *Portio mariti statutaria defuncta uxore non pro lucro demum acquirendo habenda est, sed pro lucro iam a tempore consummati matrimonii acquisto.*

§. VIII.

- CONSPICUITA DISCUSSIONES
- S. VIII. Creditores in bonis debitoris post concursum eo  
usque iure quæsito gaudent, ut in eorum præiudicium  
neque ex bonis præsentibus aliquid alienare,  
neque iuri quæsito renunciare cum effectu debitor  
possit.
- S. IX. Sententia Dn. Bergeri, quod maritus obearatus  
portionem uxoris hereditariam in præiudicium  
creditorum repudiare queat, si liberos ea post se re-  
liquevit, quibus potius, quam marito, iure naturæ  
bona materna debeantur, refellitur.
- S. X. Carpzovius, maritum vivente adhuc uxore lucro  
statutario, post eius mortem obventuro, renunciare  
posse, putat.
- S. XI. Cui & Brünnemann, certa ratione subscribit.
- S. XII. Veritas distinctionis Carpzoviane indagatur.
- S. XIII. Strykii sententia hoc de argomento commemo-  
ratur.
- S. XIV. Primum argumentum dissentientium ex L. & D.  
qu. in fraud. credit. desumunt.
- S. XV. In quantum istud æquitatis naturalis & iuris  
civilis ratione nitatur, inquiritur.
- S. XVI. Alterum argumentum, quod urgent dissentien-  
tes, nempe portionem statutariam pro lucro de-  
mum acquirendo, non actu iam quæsito habendam  
esse, continetur in responso Facultatis Iuridicæ Lip-  
siensis.
- S. XVII. Quod argumentum & a nobis refellitur, & in  
summo Appellationis iudicio fuit reiectum.
- S. XVIII. Finis Dissertationis.

§. I. Ne-



§. I.

**N**emo quisquam ex Jureconsultorum scholis facile ignorabit, per vulgatum multisque legibus communium juris antiqui brocardum esse, cuilibet licere his, quæ ipsi a lege data & concessa sunt, renunciare Nov. CXXXVI. c. I. & quemlibet ab eo iure , quod pro se introductum est, pro lubitu posse resilire , L. 29. C. de Paci. L. 51. C. de Episc. & Cler. L. 46. D. de Paci. L. 41. D. de Minor. proprioque se beneficio abdicare, per Cap. ex transmissa III. & Cap. in præsentia VI. Extr. de Renunciat. cum quivis rei suæ optimus moderator & arbiter, L. 21. C. Mandat. ac nemini invito beneficium obtrudendum sit , L. 69. D. de Reg. Iur. nec ulla fraus fiat, si quis proprium favorem emolu-

A men-

mentumve proprium sua sponte remittat , ut V L PIANVS loquitur in L. 71. D. ad L. Falcid. Omnibus hinc rebus , tam præsentibus , quam futuris , tam corporalibus , quam incorporalibus , nec non omnibus bonis , cum allodialibus , tum feudalibus , mobilibus pariter ac immobilibus , iure hereditario , aut quovis singulari obvenientis , tanquam favori pro se , privatæ utilitatis causa , introducto , cum effectu renunciari posse , Doctores unanimiter ferme & ex naturali ratione & ex legibus ante memoratis colligunt , vide sis STRYK de Success. ab intest. Differ. VIII. C. 10. §. 51. seqq. Quid ? quod , quemlibet hereditatem ex quacunque causa sibi obvenientem repudiare posse , in L. 12. D. de Condit. Inst. L. 16. Cod. de Iur. delib. L. 5. C. Vnde Legit. & tot. tit. C. de repudiand. vel abst. hered. constitutum est. Quin & liberis , suis ac necessariis hereditibus , Pratorem beneficium abstinenti induluisse , ex §. 2. Inst. de hered. qualit. & differ. & L. 57. pr. D. de acquir. vel omitt. hered. constat.

### §. II.

At enim vero cum vix ulla regula tam firmo stet talo , ut omnibus numeris absoluta nullisque obnoxia sit exceptionibus ; ita sane & hæc , quemlibet favorem pro se introductum repudiare , seu iuri suo renunciare posse , multifarias patitur limitationes , exceptionem a regula suppeditantes , quarum tamen vel omnes , vel plerasque singulatim hoc loco expondere nimis longum foret & ab instituto nostro alienum , præsertim cum alii iam multa doctrina prædicti

diti viri hanc materiam tuis tractaverint, vid.  
**WILH. HIERON. BRUCKNER.** *Dissert. de Renun-  
ciatione invalida.* Ex omnibus igitur limitationibus  
istis hanc unicam in præsens feligemus: quemlibet  
iuri pro se introducto valide posse renunciare, sed ea-  
tenus saltem, quatenus jus renunciantis solo privato  
favore absolvitur, solamque ejus personam concer-  
nit; nemini autem integrum esse, quicquam de iure  
suo remittere, quotiens alteri cuidam nocumentum  
vel præiudicium exinde infertur, **CARPZOV.** *P. III.*  
*Dec. 298. n. 20.* ne scilicet contra *L. 74. D. de Reg. Iur.*  
alterius conditio deterior hoc facto reddatur, cum  
iuris nostri remissioni tacita semper insit conditio, ut  
salvo iure tertii fieri debeat, usque adeo, ut renun-  
ciatio in tertii cuiusdam præiudicium vergens nec  
per iuramentum confirmetur, prout **GAILIVS** *L. L.*  
*Observ. 40. n. 12.* aliique Doctores passim docent.

### §. III.

Nunc posito quasi in præcedente §. fundamen-  
to, proprius accedo ad quæstionem illam satis vexa-  
tam: Vtrum maritus obæratus & concursui credi-  
torum immersus hereditatem uxoris, ex iurium, in-  
primis Saxonici, dispositione fibi competentem, in  
præiudicium creditorum valide possit repudiare? in  
qua decidenda cum Doctores multum inter se discre-  
pent, eam dignam iudicavi, de qua specimen inau-  
gurale conscriberem, hoc maxime motus, quod in  
turbe Chemnicensi, qua natum me exceptit, casus pu-  
blice in foro ventilatus fuerit, in Actis: *Die zu Ge-*

orge Wagners sen. Fleischhauers / Vermögen Arrest angelegte auch andere Credidores betreffend / ergangen vor denen Stadt-Gerichten zu Chemnitz anno 1719. Vol. I. & II. ibique Dicasteria Jureconsultorum diversimode plane pronunciaverint, iudicante Scabina-tu Lipsiensi, maritum portionem Statutariam in præ-iudicium creditorum repudiare haud potuisse, Fa-cultate vero Iuridica Lipsiensi e contrario afferente, valide maritum hereditatem uxoris Statutariam in præjudicium creditorum repudiasse, & denum Su-premo Iudicio Electorali Appellationis Dresdeni sententiam Scabinatus Lipsiensis approbante.

#### §. IV.

Quo magis perspicue omnia procedant, ex re esse opinor, ut de Successione coniugum pauca præmittam; quæ cum de iure civili multis iisque variis modis circumscripta esset, ut v. c. tunc de-mum locum haberet, si matrimonium fuisset sine dote, aut donatione propter nuptias, si conjux su-perstes laboraret inopia, defunctus vero locuples fuisset, & quæ sunt reliqua, vid. CONRAD. RITTERHVSIVM in Exposit. Novell. P. VII. C. 17. FOER-STER. de Success. ab intest. L. IX. C. 4. ideo in plurimi Germaniæ locis per singularia Statuta plenius hac de re dispositum reperimus. Quod Saxoniam nostram concernit, probe discernenda ibi veniunt iura Saxonica Commune atque Eleitorale. Equidem in marito hæc ambo iura coincidunt. Is enim utrobique est heres uxoris mobiliaris, i. e. non so-lum

lum dotem in pecunia numerata & quibusvis rebus  
mobilibus, exceptis iis, quæ ad Geradam spectant,  
consistentem, sed & reliqua uxoris defunctæ mobilia  
paraphernalia lucratur, per **Land-Recht** Libr. I. art.  
31. & Libr. III. art. 76. **Constit.** Elector. Saxon. 20.  
**P. III.** modo præter benedictionem sacerdotalem  
etiam consensio thalami accesserit, quod jure Saxo-  
nico speciatim requiritur, **Land-Recht** lib. I. Art. 45.  
& l. III. art. 45. **STRVV.** Syntagm. Exerc. 38. tb. 40.  
cum hac tn. restrictione, ut, quotiens liberi ex bo-  
nis immobilibus legitimam salvam haberé nequeunt,  
ea ex bonis mobilibus a patre sit supplenda, **CARPZOV.**  
Libr. IV. Resp. 22. n. 16. **P. III. C. 23. def. 18.** idemque ad  
legitimam quoque parentum extenditur **CARPZ. d. l.**  
**def. 19.** **STRVV.** Syntagm. Exerc. 38. tb. 40. **RICH-**  
**TER de Success.** ab intest. **Sect. IV. Membr.** 2. n. 33.  
**STRYK. de Success.** ab intest. **Dissert. IV. Cap. 3. §. 7. seqq.**  
non habita præterea ratione, sitne inops maritus, an  
diues, nobilis aut plebeius, **CARPZOV.** **P. III. Const.**  
**23. def. II.** & 16. Sed quod ad viduam, maxima inter  
utrumque ius differentia est. Saxonum iure com-  
muni uxor, si pactis dotalibus nil specialiter cautum  
reperiatur, perinde succedit, uti de iure civili dispositum  
in **Amb. Præterea C. unde vir & uxor.** Nov. 53.  
**C. 6.** & Nov. 117. **C. 5.** ut eapropter inopia pariter ac  
reliqua successionis civilis requisita veniant observan-  
da, **CARPZOV.** **P. III. Const.** 20. **def. 15.** **BERLICH.**  
**P. III. Concl.** 27. n. 13. **STRYK. de Success.** ab intest.  
**Dissert. IV. Cap. 3. §. 16.** In Electoratu e contra Saxo-  
niæ uxor, liberis existentibus, indistincte capit quā-  
dra-

drantem, trientem vero, si maritus nullis liberis relictis decadat, *P. III. Conf. Elect.* 20. quam portionem pleno iure consequitur, sive liberi adsint, cum quibus concurrat, sive extranei heredes; utroque tñ casu omnia sua bona, qualiacunque ea fuerint, in communem hereditatem conferre tenetur, in portionem hanc statutariam si velit succedere, *CARPZOV. ad alleg. Conf.* 20. *def. 24. BERLICH. c. l. n. 40.* Et hæc obtinent in successione viduæ ignobilis seu plebeiæ. Nobili aliter provisum est iure Saxonico, quod pluribus indagare nostrum haud esse puto, qui brevitatis rationem habemus; remittimus hinc lectorem ad Doctores, qui fusius hac de re egerunt, *BERLICH. P. III. Concl. 28. SAM. STRYK. Dissert. de Iure viduæ Saxon. in Feudo. BERGER. Oeconom. Iur. Libr. II. T. IV. tb. 44. STRV. Syntagma. Iur. Civ. Exerc.* 38. *tb. 41.* Nec vero in Saxonie Electoratu hæc succedendi ratio ubicunque attenditur, sed permulta reperiuntur municipia, quæ suis peculiaribus circa successionem gaudent Statutis. Sic v. c. Chemnitii viget Statutum, vi cuius uxor defuncto marito indistincte tertiam partem ex eius hereditate lucratur, quacunque ratione concurrat, sive cum liberis, sive ascendentibus, sive collateralibus, præterque trientem Geradam, omniaque bona illata, absque onere collationis, retinet.

### §. V.

Pars hereditatis, in quam coniuges sibi invicem extra iuris civilis dispositionem succedunt, portionis Sta-

Statutariæ nomine insignitur, quam sequentem in modum definio, quod sit pars hereditatis, superstiti coniugi ex bonis prædefuncti per provisionem legis provincialis, seu Statuti localis assignata, indeque ipso iure debita. Portio Statutaria ex iuris particularis provisione superstite coniugi debetur, indeque debitum est necessarium. Quæ enim legum autoritate nobis debentur, præter voluntatem nostram nemo quisquam auferre vel deminuere nobis potest, cum alias legum autoritas frustanea foret atque inefficax. Igitur neuter coniugum per testamenti factionem alteri non consentienti ulla ratione praediudicare potest L. 55. D. de Legat. i. quoniam superstes vigore legis provincialis, seu Statuti, mox a tempore consummati matrimonii ius quæsitum intuitu huius portionis consecutus est, quod pro lubitu deminuere, privatorum arbitrio nullatenus est relictum, BERLICH. P. III. Concl. 9. n. 4. seqq. & Concl. 26. n. 24. STRYK. all. Diff. IV. C. 3. §. 2. HARTM. PISTOR. Libr. I. n. 7. & Obser. 197. Eleganter IUSTINIANVS in Nov. XXII. Cap. 33. Quod, inquit, ex lege datum est lucrum, privatus auferre modis omnibus non valebit, licet decies millies contrarium aliquid velint morientes. In Saxonia nostra res expediti iuris est, ubi SERENISS. ELECTOR AVGUSTVS P. III. Conf. 7. verbis expressis sancitum nobis reliquit, quod nec maritus quadrantem trientemve, post eius obitum uxori e bonis suis ex Statuto aut consuetudine loci debitam, vel totam, vel ex parte, per testamentum aliamve ultimæ voluntatis conflationem auferendi vel deminuendi facul-

facultatem habere debeat, nec vice versa uxor quicquam ex iis, quæ post eius mortem hereditatis nomine ad maritum perveniunt, CARPZOV. def. 2. ad all. Conf. & P. I. Dec. 61. n. 13. & 14. S T R V V. Syntagm. Iur. Civ. Exerc. 38. th. 40.

### §. VI.

Sed integrum tamen est coniugibus portionem statutariam per testamentum, aliamve ultimæ voluntatis speciem, vel in totum, vel ex parte infringere, altera parte coniugi testanti consensum suum accommodante, vel deinde testamenti confectionem approbante ratumque habente, *Gloss. in artic. 42. Libr. I. Land-Recht D A N. M O L L E R. ad P. III. Const. Elect. 7. n. 1. C A R P Z O V. ad b. Const. def. 14.* nec non, si forsan in pactis dotalibus pacientes expressis verbis sibi reservaverint facultatem, in casum mortis libere de bonis suis disponendi. Quin enim coniuges mutuo consensu portioni statutariæ renunciare, illamque invicem deminuere valeant, omni dubitatione caret, cum eiusmodi statuta non publicum, sed privatum saltem respiciant favorem. Multo minus in dubium incertumque vocandum, pactis dotalibus designari omnino posse certam aliquam portionem, qua coniux superstes, altero fatis functo, contentus esse debet, nec eam relinquere atque ad statutariam portionem configere potest, cum pacta dotalia circa successionem coniugum stricte custodiri debeant per *Const. Elect. 20. P. III. verb. Wenn zwischen Eheleuten Ehestiftungen sc. ibique C A R P Z O V.*

20 v. *Confl.* 22. verb. **D**a aber in den **E**hestifftungen **et**. & *Confl.* 37. verb. **E**s wäre denn in der **E**hestifftung **et**. **B**ERLICH. P. III. *Concl.* 27. n. 28. *seqq.* Neque dicam nobis scribit *Confl.* 7. §. V. cit. cum longe alia ratio veniat observanda in pactis do-talibus, quam quidem in dispositionibus testamenta-riis. Nam fundamentum diversitatis ex eo patescit, quod testamentariae dispositiones non nisi unius ni-tantur consensu ac voluntate, unde illis mediantibus nemini ius suum quæsumum absque prævio consensu extorqueri potest: pacta autem dotalia mutuo con-trahentium consensu absolvuntur, atque ex eo effi-cacem perfectamque obligationem adipiscuntur, quod nemo iniuriam pati censemur, qui sibi delibera-to animo minorem in mortis eventum stipulatur portionem, cum nulla publici, sed sola privati favoris ratio hoc casu periclitetur, **S**TRYK. *de Success. ab in-teſt. Differt. IV. Cap. 3. §. 20.*

§. VII.

Hisce præmissis ad ipsius thermatis, quod ven-tilandum proposui, accuratiorem tractationem me accingam, atque pro virium capacitatem evincere al-laborabo, maritum hereditatem uxoris, ex Saxonici, vel cuiuscunque alterius, iuris dispositione sibi competentem, pendente super bonis suis concursu in præiudicium creditorum defuncta uxore minime gen-tium efficaciter repudiare posse. Deberi portionem statutariam coniugibus ex provisione legis, **L**AND. **X.** *Libr.* III. art. 45. adeoque debitum necessarium esse

B

secun-

secundum M. E. v. ad Ius Lubecens. P. II. T. 2. art. 12.  
 n. 345. dictum a nobis fuit §. V. iam porro notamus,  
 iure Saxonico id peculiariter constitutum esse, ut statim  
 post copulam sacerdotalem & thalami consensio-  
 nem hoc ius succedendi certum ac immutabile sit,  
 id quod vel exinde apparet, quod ex illo tempore  
 coniuges per dispositionem quandam testamentariam  
 nulla ratione, invita altera parte, se invicem hac  
 portione privare vel istam diminuere queant, nisi  
 cum aliis donationes ex iusta & necessaria causa fa-  
 etas excipere velimus, ne omne de bonis suis dispon-  
 nendi arbitrium coniugibus adimatur. Hinc ulte-  
 riusr sequitur, portionem illam post mortem uxoris  
 neutquam pro lucro demum acquirendo, sed potius  
 iam quaesito habendam esse. Quid? quod vivente  
 adhuc uxore maritus condominus quasi est rerum  
 eius mobilium, utilique dominio gaudet; quam pri-  
 mum vero e vitae statione uxor decedit, ipso iure  
 plenus fit dominus maritus, nec ulla eius acceptati-  
 one aut declaratione expressa, ut alias fieri solet in  
 hereditatibus, ullo modo opus est, quin potius  
 mobilia haec ad suos transmittit heredes, quamvis  
 ipse verbis nullis animum suum declaravit, I. A. C.  
**SCHVLTING.** in addit. ad *Modest. Pistor. P. IV. qu.*  
*31. n. 226.*

### §. IIX.

Maritus iure quaesito gaudet in portione heredi-  
 taria sibi ab uxore relinquenda. Exinde prono alveo  
 fluere videtur, creditores mariti obearati, quibus post  
 exci-

excitatum concussum ius quæsitum in bonis eius  
 competit, usque adeo, ut interea temporis, donec  
 ipsis de credito satisfactum fuerit, nulla ratione, quo-  
 cunque titulo, quicquam ex iis possit alienari, ius  
 aliquod radicatum etiam habere in hereditate, mari-  
 to ex uxoris bonis olim obventura, quod ipsis in  
 eorum præiudicium factò mariti debitoris minime  
 potest auferri, vel aliqua ex parte deteriorari, cum  
 per superioris tradita nemo quisquam in alterius præ-  
 iudicium favorem pro se introductum valeat repu-  
 diare. Nec enim liberalis esse quis poterit de eo,  
 quod suum amplius non est; nostrum vero non est,  
 quod aliis debemus, ergo ex patrimonio nostro nil  
 quicquam donationis, aut cuiusvis alienationis titu-  
 lo, salva æquitate naturali, abiicere possumus, do-  
 nec aes alienum fuerit exsolutum. Quid, quæso,  
 aliud faceret maritus, hereditatem uxoris defunctæ  
 repudiando, quam ut donaret, siquidem renunciatio  
 vel remissio iuris vim donationis obtinet, MATH.  
 WESENBEC. in *Paratil. ad D. Lib. II. Tit. 14. n. 8.*  
 Donatio vero in fraudem creditorum facta minime  
 subsistit, sed donatarius a creditoribus donatoris po-  
 test conveniri, per L. 17. §. 1. D. qu. in *fraud. cred.*  
 WESENBEC. ad b. t. n. 6. CARPZOV. P. II. Dec.  
 161. n. 20. seqq. qui posterior præiudiciis hanc confir-  
 mavit sententiam. A partibus his stat quoque Dica-  
 sterium Scabinatus Lipsiensis, in causa §. III. allega-  
 ta, mense Decembr. 1723, sequentem in modum pro-  
 nuncians: Im übrigen ist des Schuldners Ehewei-  
 ses/ Annen Rosinen/ Testament/ so weit dasselbe der  
 jenem

jenein gebührenden Statutarischen Portion zuwieder/ weil selbige durch letzten Willen dem Ehemann nicht entzogen/ von diesem auch das auf ihn durch jener Tod gediehene Recht/ denen Creditoren zum Nachtheil/nicht resigniret werden können / vor beständig nicht zu achten/ noch mögen dannenhero die in der 3ten 4ten und 6ten Classe erwähnte Wagnerische Ehe-Gelder und Weibliches Einbringen aus dem Concurs weiter gefordert werden.

## §. IX.

Posse tamen maritum , alieno aere oppressum , portionem hereditariam defuncta uxore ad se spe-  
ctantem cum effectu repudiare , si liberos reliquerit  
uxor , siquidem illis potius quam marito bona ma-  
terna iure naturæ debeantur , ut non sit , quamobrem  
creditores de eo , quod debitor maritus eam portio-  
nem haud acquisiverit , sed liberis defunctæ permi-  
serit , conquerantur , Dn. B E R G E R existimat *in*  
*Oeconom. Iur. Libr. II. Tit. 2. th. 34. n. 21.* idque , quod  
ad usum fori concernit , præindicio confirmat . Ve-  
rum enim vero portio statutaria post obitum uxoris  
ipso iure ad maritum pervenit , creditores autem ra-  
tione crediti sui pariter iure quæsito gaudent in pa-  
trimonio debitoris . Præterea ex genuinis iuris na-  
turæ principiis deduci nequit , bona matris liberis  
post eius mortem relinquiri omnino deberi . Nam de iu-  
re naturæ parentes liberis ne quidem ad legitimam ,  
multo minus ad maiorem hereditatis partem relin-  
quendam tenentur , sed omnis modus succedendi no-  
bis

02 ) 13 ( 20  
bis usitatus commentum est iuris civilis, sufficitque  
si parentes liberis de alimentis tantum prospiciunt,  
**S T R V V . Syntagma. Iur. Civ. Exerc. X. tb. 10. L v d o-**  
**V I C I in Doctr. Pandectar. L. V. T. 2. §. 4.** id quod in-  
tuitu legitimæ vel ex eo patet, quod miles circa le-  
gitimam liberos præterire impune possit. Deinde li-  
beri hoc casu certant de lucro captando, creditores  
e contra de damno vitando, potior vero ratio in iu-  
re habetur eorum, qui certant de damno vitando.  
Hinc sane non video solidum fundamentum, cuius  
intuitu liberorum conditio favorabilior esse & præ-  
rogativam præ creditoribus mereri debeat. Nullibi  
etiam reperimus, **L. 74. D. de R. I.** que constituit,  
renunciationem in tertii præiudicium factam nullo  
modo subsistere, distinctionem quandam suppedita-  
re inter parentes liberos habentes & alias quascun-  
que personas, ita ut priores privilegiati sint, iuribus  
pro se introductis in tertii præiudicium renunciare,  
modo exin liberi eorum emolumentum aliquod sen-  
tiant. Lege autem non distingueente nec nostrum  
esse distinguere, in vulgus notum est iuris brocar-  
dicum.

### §. X.

Quæritur iam, quid de eo sentiendum sit casu, si  
maritus, haud equidem ignorans substantiam suam  
creditoribus minime suffectoram, vivente adhuc  
uxore lucro portionis Statutariae olim obventuro re-  
nunciet. **C A R P Z O V . P. II. Dec. 161.** inquirens, quā-  
tenus maritus lucro dotis mobiliumque uxoris in

præiudicium creditorum ac commodum liberorum  
 renunciare valeat, distinctione utitur, utrum talis re-  
 nuntiatio mariti vivente adhuc uxore, an vero ea  
 iam defuncta facta fuerit; & priori casu renunciatio-  
 nem utique subsistere atque nullari haud posse ex-  
 istimat, provocans ad D. A. MOLLER. ad P. III.  
*Conf. Elector.* 23. n. 21. cum nullo iure prohibita repe-  
 riatur talis renunciatio, vel ullibi improbetur, qua de  
 causa fundamentum rescissionis deficeret; quin poti-  
 us regulæ generali, cui libet favori ac iuri pro se in-  
 troducendo renunciare licitum esse, firmiter sit inhæ-  
 rendum; accedente potissimum incertitudine even-  
 tus ac lucri, quod ex dote & bonis mobilibus uxoris  
 adhuc viventis marito possit obvenire, quoniam ma-  
 ritus ante uxorem diem supremum obire posset, quo  
 casu neque renunciatio aliquod documentum seu  
 præiudicium, neque eius intermissio ullum emolu-  
 mentum creditoribus apportaret. Posteriori vero  
 casu, si nempe defuncta iam uxore lucrum dotis mo-  
 biliumque repudiare velit maritus in præiudicium  
 creditorum, tunc temporis tale quid nequaquam va-  
 lere, nequidem in liberorum favorem, idem Carp-  
 zovius statuit. Fundamentum huius distinctionis in  
 eo ponit, quod repudians bona, quæ iam possidet, vel  
 quorum possessionem omni momento capere valeret,  
 fraudem committat, &, quod creditorum est, aliena-  
 re censendus sit, adeoque nihil omnino agat; cessan-  
 te contra ea fraudis præsumptione & ratione prohibi-  
 tiva in remissione iuris futuri, quod adhuc speratur  
 in aliis corporalibus iuriis suis. cuius-

cuiusque eventus est dubius atque incertus, cum minime eadem ratio sit lucri adhuc quærendi & iam acquisiti, quod posterius patrimonio debitoris semel incorporatum in præiudicium creditorum illicite plane alienaretur, per tot. tit. D. qu. in fraud. lucrum vero adhuc quærendum, & consequenter patrimonio nondum incorporatum, per factam renunciationem neutquam dici posse alienari, quippe quod nondum fuerit in bonis debitoris, ut hac ratione nec creditores propterea de præiudicio sibi illato conqueri possint, per ea, quæ DIONYS. GOTHOFRED. monet ad L. 6. D. qu. in fraud. credit. diminuere non licere, licere tamen non acquirere.

## §. XI.

Approbat distinctionem Carpzovii eamque in foro lequendam esse perhibet BRVNNEMAN. in Comment. Digestor. ad L. 26. de bon. libertor. id quod tamen cum hac limitatione vult intelligi, si maritus ante obitum uxoris, & tempore factæ renunciationis adhuc solvendo fuerit, & in fraudem creditorum nil quicquam fecerit. Cui sententiae & ego ex parte calculum addo. In hoc nimirum ei subscribo, quod maritus vivente uxore portioni Statutariæ efficaciter quidem possit renunciare, sed simul necesse sit, ut tempore factæ renunciationis solvendo adhuc fuerit maritus debitor, ubi in fraudem creditorum probabiliiter nil quicquam commississe videtur.

## §. XII.

## §. XII.

Sed nostrum si ferre licet iudicium de distinctione Carpzovii , multis dubiis illam esse obnoxiam persuasum habemus . Namque existimat magnus ille Iureconsultus , mariti renunciationem vivente uxore declaratam nullo iure prohiberi , itaque regulæ generali , quemlibet favori ac iuri pro se introducto renunciare posse , esse inhærendum . Quin autem fundamentum prohibitionis in ipso hac regula lateat , ex §. I. manifesto apparet , ubi & Carpzovium allegavimus , afferentem , neminem quicquam de iure suo remittere posse , quotiens alteri cuidam nocumentum vel præiudicium inde infertur . Quis vero inficias ire poterit , præiudicare debitorem creditoribus , lucrum hereditatis obventuræ hunc in finem repudiando , ne creditores creditum suum consequantur . Neque incertitudo eventus maritum debitorem ullo modo adiuvabit . Hic enim , quantum in se est , res & spes suas conservare , non abdicare debet . Quod tandem ait Carpzovius , longe aliam rationem esse , si quis bona repudiet , quæ vel actu iam possidet , vel quorum possessionem omni momento capere valet , quam si lucrum remittat , quod adhuc speratur , cuiusque eventus dubius est atque incertus , & toto , ut aiunt , cœlo differre lucrum adhuc quærendum & actu iam quæstitum ; iuris Saxonici dispositioni in totum refragatur , utpote quo per Land-R. lib. III. art. 45. portio Statutaria post thalami concessionem pro lucro iam adquisito reputatur .

## §. XIII.

42 ) 17 ( 26  
§. XIII.

Quæ quum ita sint, multo minus perspicio, quænam rationes induxerint STRYKIVM, ut in Tr. de Success. ab intest. Dissert. IV. C. 3. §. 41. & 42. certum esse dicat, posse maritum, præsertim si obæratus sit, & videat omnem substantiam creditoribus vix sufficere, a portione statutaria abstinere & uxoris heredibus dotem relinquere. Quamvis enim, Strykius ait, hoc tendere videatur in præiudicium creditorum, si maritus hereditatem uxoris repudiet; expediti nihilosecius iuris esse, quod debitor, qui acquirendi occasionem volens prætermisit, pro fraudatore habendus non sit, cum haudquaquam deminuat patrimonium suum, sed id tantum agat, ne locupletetur, per L. 6. pr. qu. in fraud. cred. ut sic nec hoc casu creditores maritum, ut uxor succedat, compellere possint: Neque admittendam putat distinctionem Carpzovii & Brunnemann, de qua §. X. & XI. fuit actum, utrum scilicet viva uxore facta fuerit renunciatio mariti, an vero fatis ea functa? quoniam L. all. 6. §. 2. de renunciatione hereditatis delatae liquido agat; Et quamvis ita lœdi videantur creditores, hanc tamen læsionem non magis attendendam putat, quam si puteum in area mea fodiendo venas putei vicini intercipiam, ita ut puteus vicini exarescat; nam uti me hic iure meo per L. 24. §. fin. & L. 26. pr. D. de damn. infest. Hancque suam sententiam placere quoque MEVIO ad Ius Lubecens. P. II. Tit. 2. art. 12. n. 457. PEREGRINO de Fideiconim. art. 3. n. 17. BE-

C

SOLD.

SOLD. ad Ius Würtenb. P. IV. ib. 26. addit. Sed nullis eam iustitiæ ac æquitatis rationibus niti, partim ex antecedentibus §. licet dijudicare, partim etiam ex subsequentibus ulterius se manifestabit. Quod simile a puto desumtum concernit, in quantum illud huc quadret, atque controversiam dilucidam reddat, cuiuslibet doctiori iudicio relinquam.

#### §. XIV.

Cum per canonem logicum contraria iuxta se posita magis eluceant, hinc & hoc loco necesse erit, ut dissentientium argumenta, nobis potissimum adversa, accuratiori examini subiiciamus, quorum primum fundamentum suum debet L. 6. pr. & §. 2. D. qu. in fraud. cred. ubi constitutum legitur, quod in fraudem creditorum nil agere videatur, qui acquirendi occasionem amittit: nam diminuere quidem non licere, permisum attamen esse non acquirere, unde illi debitores patrimonium suum diminuere, aut creditores fraudare haud censendi sint, qui lucrum acquirendum repudient. Huic sententia adstipulatur quoque CAPITULUS Dec. 161. iam all. quod nempe cit. L. 6. ad diminuentes patrimonium suum pertineat, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur, cum alienare quod suum est & non adquirere sibi invicem expresse contradistinguantur in L. 28. D. de V. S. & L. 134. D. de D. R. I. inque partes suas allegat. D. LONIUS. GOTHOERED. in c. l. 6. in pr. lit. t. perhibentem, per diminutionem iam acquisiti creditores directo frau-

22) 19 ( 20

fraudari: per non acquisitionem vero defraudari saltem per indirectum atque per consequentiam, quam opinionem & STRYKTO placere §. XII. ostendimus, cui quoque assentimur. STRVV. Exer. 44. tb. 74. ibique cit. HILLIGER AD DONELL. nec non BERGER in Oeconom. Iur. Libr. II. T. 2. tb. 34. n. 21. actionem, inquiens, Paulianam ad res debitoris actu quæsitas pertinere; non item ad acquirendas, e. c. ad hereditatem. Et perplures fane Doctorum, quos longa serie citat IOH. BRVNNEM. in Commentar. ad Digest. ad L. 26. de Bon. libert. unanimi consensu convenient, creditores minime fraudari, quamvis debitor lucrum sibi delatum repudiet, & occasionem acquirendi omittat.

### §. XV.

Hæc igitur assertio, lucrum obveniens in fraudem creditorum valide repudiari posse, æquitatis naturalis & legum civilium rationibus in quantum subnaturatur, paucis investigabimus; ubi omnium primo considerandum nobis venit, regulas bonæ interpretationis desiderare, ut non solum ad verba legis respiciamus, prout illa iacent, sed potissimum quoque ad rationem sub verbis latentem. Ratio actionis Paulianæ in hoc consistebat, ut illa mediante obviā iretur fraudibus debitorum, qui bona sua in hunc saepius finem dilapidabant, ut post excitatum concursum creditorum hi tantum substantiae non inveniunt, unde sufficienter ipsis satisfieri posset. Quis autem non cernit, æquitati naturali, quæ omnem

omnino fraudem excludit, directo repugnare, si quis hanc solam ob causam lucrum ad se delatum velit negligere, ne creditores, qui debitorem, adversa fortuna domi suæ laborantem, suis opibus bona fide adiuvarunt, suum recuperent? Manifesta sane foret iniquitas, si tale quid indulgere velimus debitoribus, ut liceat ipsis lucrum ad se delatum cum insigni creditorum damno in liberorum aliorumve favorem pro lubitu repudiare. Quodsi inspiciamus L. i. cit. Tit. qu. in fr. credit. Edictum Prætoris omnem respuit fraudem a debitoribus adhibitam, atque in §. 2. L. i. VLPIANVS ipse asserit, generalia esse verba Prætoris in hoc Edicto: quæ fraudationis causa gesta erunt; & in se continere omnem omnino in fraudem factam vel alienationem vel quemcunque contractum, adeoque quodcumque fraudis causa gestum sit, videri his verbis revocari, qualemque fuerit: nam late ista verba patere, sive ergo rem alienaverit, sive acceptilatione vel pacto debitor aliquem liberaverit, id omne ad Edictum prætoris pertinere. Disputatum hinc olim id fuisse in Facultate Iuridica Viadrina, IOH. BRVNNEM. loc. §. XI. cit. perhibet, existimatque, naturali æquitati maxime congruum esse, dicere, quod repudiatione lucri delati in fraudem ac præiudicium creditorum nullum iniure robur & effectum habeat, id quod laute admodum in Gallia observaretur. Fini igitur atque intentioni legislatoris haud satisfieri, totus mihi persuadeo, si L. 6. D. qu. in fraud. cred. restringere tantum velimus ad res actu iam quæsitas, dum, si id facias, improbis debitoribus mul-

multifaria occasio aperitur, siuos creditores malitiose defraudandi. Quam in rem facit L. 4. D. qu. in fraud. Credit. in fraudem alterius quem facere, constituenta, qui id non facit, quod in eis utilitatem ac commodium facere debet; nec non L. 74. D. de D. R. I. quæ generaliter pronunciat, iniquam conditionem alteri per alterum nunquam inferri debere. Creditores præterea his casibus semper certare de damno vitando, omnes vero illos, in quorum gratiam repudiatio facta, de lucro captando, aliquoties iam fuit dictum. Nemo vero cum damno alterius locupletior fieri debet. Et verissime dicitur, omne id, quod directo fieri nequit, per indirectum quoque non debere permitti, L. 26. §. ult. Cod. de Vfur. L. ult. Cod. si mancip. ita venier. ne, quod una via prohibetur, per aliam patet, arg. L. Anastasii 7. in fin. Cod. de natural. lib. Cap. cum quid una 84. Extr. de reg. iur. in Vito.

### §. XVI.

Alterum argumentum, quod urgent dissentientes, exin depromere allaborant, quod portio statutaria, in qua coniuges sibi invicem succedunt, pro lucro post mortem alterius demum acquirendo, minimeque pro lucro, iis adhuc viventibus, & a tempore consummati matrimonii actu iam tum acquisito, sit reputanda. Cum igitur ex eorum mente lucrum demum acquirendum quilibet impune repudiare possit, ut lac ratione nil quicquam in fraudem creditorum committat, hinc tale quid & maritum

C 3

posse

posse colligunt. A partibus huius sententiae stare quoque Facultatem Iuridicam Lipsiensem, ex eorum responsu cernere licet, quod in causa §. III. memorata, postquam iudicium Seabinatus Lipsiensis §. 8. cit per interpositam leuterationem a viribus rei iudicata suspensum fuisset, mense Decembr. CCCCCXIV. sequentem in modum dederunt: Auf Leiterungs- Schrift / auch Vorbringen und erfolgte Gesetze u. erachten wir nach fleißiger Verlesung und Erwegung in Rechten gegründet und zu erkennen seyn. Nunnebro aus denen Acten so viel zu befinden / daß des Schuldners Eheweibes Testament / so weit dasselbe der jenem gebührenden Statutarischen Portion zuwieder / indem besagter Schuldner nach seines Eheweibes Ableben in dem Schreiben Vol. I. bemeldtes Testament / vorrinnen ihm die Statutarische Portion entzogen / agnosciret / er auch der an deren Verlassenheit ihm sonst zukommenden Statutarischen Portion, als einem lucro actu nondum acquisito sich begeben können nad also in fraudem creditorum nichts vorgenommen / vor beständig zu achten / und mögen die in der zten 4-ten und 6ten Classe erwähnte Wagnerische Ehe-Gelder und weibliches Einbringen aus dem Concurle weiter wohl gefordert werden. B. R. W.

## §. XVII.

Opinione itaque ducitur illustris Facultas Iuridica Lipsiensis in hoc suo responso, debitorem portionem statutariam, tanquam lucrum actu nondum acquisitum repudiare omnino potuisse, nec eo ipso quic-

quicquam in fraudej creditorum egisse. Ab eorum sententia in quantum ego, pace doctissimorum illorum virorum, in hac mea dissertatione recesserim, liquido ex eius inspectione apparet, & partim quidem ex §. IV. V. & VII. ubi evincere studui, coniuges illico a tempore consummati matrimonii & subsecuta consensionis thalami ius quæsitum in portio- ne statutaria consequi, quod arg. L. 4. C. de Emancipat. coniux delinquens aut fiscus innocentis parti adimere haud valet, partim ex §. XIV. qui continet, in fraudej creditorum utique facere, qui lucrum obveniens hanc ob causam repudiatur, ut creditores defraudentur aliisque emolumentum inde accrescat. Bre- vissimis adhuc notabimus, quod, devoluta per interpositum remedium suspensivum causa ad summum Appellationis Iudicium Dresdense, sententia Facultatis Iuridicae reformatæ, Scabinatus vero confirmata fuerit hunc in modum: In Appellation-auch George Wagners Schuld- und Priorität-Sachen ic. erkennen von Gottes Gnaden/ Wir / Friedrich Au- gustus / König in Pohlen ic. Herzog zu Sachsen/ Jülich / Cleve / Berg / Engern und Westphalen ic. Churfürst ic. vor Recht: Das die eingewandte Ap- pellation in ihren formalien beständig/ und zu gebüh- render Rechtfertigung an Ius erwachsen. Derer Ma- terialien halber erscheint aus denen Acten und derer Partheyen rechtlichen Einbringen so viel/ das in erster Instanz übel gesprochen und wohl appelliret/ derowegen es bey dem am 29ten Febr. des jüngst abgewicke- nen 1724. Jahres eröffneten in Actis Imæ Instant. Vol.

Vol. I. fol. 210. besindlichen Urtheil billig zu lassen.

B. R. W.

Eröffnet zu Dresden,  
am 20. Febr. ao. 1724.

§. XIIIX.

Hæc sunt, quæ hac de materia cum L. B. communicare apud animum constitui, & quamvis nullus ignorem, me in exaranda hac dissertatione ulterius adhuc progrexi potuisse, nihilominus tamen persuasum habeo, veritatem assertionis, quam tuendam sumsi, ex brevi hac elaboratione satis iam elucescere. Nil quicquam igitur reliquum video, quam ut Divino, quod res nostras moderatur, Numinis decentes gratias submissa mente peragam, quod studiis meis academicis in hunc usque diem clementer adipisci voluerit.

T. A N T V M.



PRÆSES CANDIDATO  
SVO SALVTEM.

Multa sunt, quæ in Te amo. Patriam primo loco pono, quæ mihi Tecum communis est. Quanquam enim ego veram sapientis patriam non eam existimem, quam fortuita nativitas illi obtrudit, sed hanc, quam ipse sibi prudenter consilio elegit, attamen & natale solum nescio qua dulcedine animos nostros imbuit, ut ii, qui ex eodem oriundi sunt, chariores nobis sint & iucundiores. Deinde & propter parentem Te amo, iureconsultum egregium, sed simul, quæ maxima laus est, sanctum & incorruptum. Is est Balthasar Hüblerus, prætor urbis Chemnitiensis, iudiciis illustrium Schöbergiorum & Einsidelii præfectus, caussarum patronus, magnam nominis celebritatem natus. Amo Te porro propter necessitudines tuas, in quibus, ut alios nunc brevitatis studio omittam, non possum non nominare ad finem tuum, illustrem Pufendorfium, Magnæ Britanniæ regis in tribunalibus Cellensibus confiliarium, qui, quod facere quenquam posse

D

huc

hoc usque non credidi, nativum & domesticum Pu-  
 fendorffii nominis decus propria virtute & doctrina  
 æquavit. Is Te mihi per literas accurate commen-  
 davit, atque hac commendatione sua, ut omnia Tui  
 causa facere paratus sim, effecit. Præterea in Te  
 amo studiorum tuorum matrem, aliam Lipsiam,  
 quam quanti faciam, quantaque charitate alumnos  
 eius amplectar, nuper admodum epistola publice  
 proposita declaravi. Verum si ab iis omnibus, quæ  
 dixi, recessero, supersunt eruditio & merita tua, quæ  
 amorem Tibi meum non conciliant sed extorquent.  
 Omitto vitæ probitatem & morum elegantiam, qui-  
 bus omnibus places. Nihil dico de doctoris phi-  
 losophi honoribus, quos Lipsia dignissime consequi-  
 tis es. Commemorabo saltem specimina, quæ  
 publice edidisti. Iam tum anno 1710 CCXXVI. præ-  
 sidente amplissimo Gebauero, de actione tutelæ ad-  
 versus magistratus docte & argutè disputasti. Dein  
 de anno 1715 CCXXVIII. nobile argumentum de eo,  
 quod secundum naturalis æquitatis principia nemo  
 tertio valide possit stipulari, solide elaborasti, & præ-  
 ses ipse ex superiori cathedra defendisti. Venisti  
 tandem ad nos, doctorem iurium Te renunciari pe-  
 tisti, &c. ut dignum Te ea dignitate ostenderes, lu-  
 culentia edidisti doctrinæ tuae specimina, inter quæ  
 præsens, cui epistolam hanc suffigo, scriptum est.  
 Omnia in eo tua sunt, nihil meum. Nolui enim  
 quidquam mutare, ut alii etiam, quantum valeas,  
 certius possent iudicare. Non diffiteor, me & ordi-  
 nem ICtorum Helmstadieum abs Te dissentire,  
     atque

atque contra sententiam tuam & iudicare & respondere solere. Scilicet, ut rem paulo altius repetam, generalis quæstio est, an debitor obæratus qualemcunque hereditatem & successionem, tam allodialem quam feudalem, sibi delatam repudiare queat, ita ut creditores eam repudiationem tanquam in fraudem suam factam impugnare non possint. Negat Vlpianus in *L. 6. pr.* *Quæ in fraudem creditorum*, debitorem eum in fraudem creditorum alienare, qui patrimonium suum vere non deminuit, sed saltem, quum posset aliquid quærire, non id egit, ut adquireret. Idem in *L. 134. de Reg. iuris* & in *L. 1. §. 6.* *Si quid in fraudem patroni*, dicitur. Concluditur inde, posse debitorem obæratum successioni ad se spectanti renunciare. Multis hoc iniquum videtur, in primis Schiltero, qui in *Exerc. ad π. 46. §. ult.* hoc simpliciter cum iure naturæ pugnare ait. Alii vero, quia legem prorsus tollere nequeunt, temperamento adhibito fere elidunt. Distinguunt scilicet, utrum is, cui succeditur, adhuc vivat, an mortuus sit. Illo casu successioni deferendæ licite renunciari fatentur, hoc, quia delata iam sit successio, negant repudiationem fieri posse. Ita late disputat *Carpzovius in Decisione 161.* cuius sententiam probat & commendat *Brunnemannus ad L. 26. de Bonis libertatibus* atque in collegiis Saxoniciis electoralibus ob manifestam æquitatem receptam esse, testatur illustris *Bergerus in Oeconomia iuris pag. 297. n. 21.* Verum enim vero ipse *Bergerus in Electis discept. for. p. 1117. n. 8.* confitetur, temperamentum hoc iuri scripto non convenire. Et obsistunt ei aperte verba legis

D 2

6. pr.

6. pr. §. 2. & 4. *Quæ in fraudem credit.* Confitetur etiam, Scabinos Lipsienses temperamentum istud reiicere atque secundum leges iudicare. Addere debuisset, ipsum Saxonæ electorem ab eo recessisse, atque bis apud Berlichium P. 2. doc. 168. definitive rescriptisse, patrem obæratum posse feudum morte prioris possessoris in se iure simultaneæ investituræ devolutum filii suis relinquere. Non diffiteor, mihi ipsi hoc duriusculum videri. At quia lex sic scripta est, ICtos secundum eam iudicare & respondere oportet. Fecerunt hoc Helmstadienses mense aprilii anni 1510 ccxxvi. negaruntque, creditores impugnare posse pactum familiæ, quo debitor obæratus se successione feudali abdicarat, quamvis id manifeste in ipsorum præiudicium tenderet, quum creditoribus, si alia bona deficiant, fructus feudi, quamdiu vasallus debitor eiusque filii vivunt, relinquatur. Sic itaque responsum fuit: Wird Unterricht begehret / ob des Philippi Gläubiger an den Lehn- und Erb-Gütern einen Anspruch machen können / und wie ihnen zu begegnen. Nun werden sie sonder Zweifel vor sich anführen / daß die Gläubiger eines Lehn-Mannes die Früchte der Lehn-Güter / so lange der Lehn-Mann und seine männliche Nachkommen leben / wegzunehmen und sich daraus bezahlt zu machen berechtigt seynd / daß ein Schuldner zum Nachtheil seines Gläubigers keine pacta eingehen noch das ihm zustehende Recht wegsschenken könne / und daß der Lex. 6. §. 2. *Quæ in fraudem creditorum auf gegenwärtigen Fall/ da Philippus durch Untera schreis*

schreibung des pacti familiæ sich seines ihm an den  
 Grossväterlichen Lehn-Gütern zustehenden würclichen  
 Rechtes begeben / und nicht bloß einer zukünftigen  
 ungewissen Erbschaft renunciiret / nicht zu ziehen  
 sey. Dennoch aber und dieweil die Gläubiger bey  
 entstehendem Concurse blos an des Schuldner's  
 Stelle treten / und eigentlich dessen Person repräsentiren /  
 folglich nur so viel / als solcher Schuldner selbst  
 prætendiren können / sondern mögen / hienächst aus  
 obangezogenem L. 6. erhellet / daß ein Schuldner sich  
 zum Nachtheil seiner Gläubiger nicht allein einer zu-  
 künftigen ungewissen Hoffnung / sondern auch eines  
 ihm würclich zugesunkenen aber noch nicht in Besitz er-  
 langten Rechtes begeben könne; So mögen des Philip-  
 pi Gläubiger dessen Kinder wegen der Lehn- und Erb-  
 Güter nicht in Anspruch nehmen. Hæc est ICtorum  
 Helmstadiensium sententia, in iure scripto, ut puto,  
 innixa. Sed quia tamen tua magis fere æquitati  
 convenit , atque celeberrimorum virorum , illustri-  
 um iudiciorum ac collegiorum auctoritate munitur ,  
 publice eam ex cathedra , me præsidente , defendi  
 non erubesco. Disputabo tantisper ipse contra eos ,  
 qui mihi adsentient , atque tuas theses oppugnabunt.  
 Addo saltem corollaria aliquot de meo , atque dissen-  
 tientibus , sive illa , sive tuas theses ratiociniis suis  
 impetrare , permitto. Quod reliquum est , vale ac res  
 tuas feliciter age. Datum Helmstadii XI. Kl. iun.  
 anni CIO IO CCXXXIX.

**E**iusmodi microcosm ius antedictum ad corollaria  
non eo id est sufficiat . intervenient alii microcosm

**COROL-**

### COROLLARIA.

1. *Donatio ante conflatum & alienum facta a creditoribus revocari non potest, L. 15. C. de Donationibus.* Nec obstat regula juris, quæ damnum vitantibus magis, quam lucrum captantibus faveri iubet.
2. *Donator, qui post donationem in paupertatem & & alienum incidit, nequit tamen donationem revocare.* Dissentient seabini Lipsienses apud Schilterum Exerc. 43. §. 23. forte propter L. 19. §. 1. & L. 49. de Re iudicata, ad quas in conflictu respondebitur.
3. *Pacta omnia, quæ creditor pro securitate nominis sui eum debitore ob&erato & suspecto, ante motum concursum, init, valent, L. 6. §. 2. L. 8. §. 1. de Rebus auct. iud.*
4. *Etiam pactum protimeseos pro viliori pretio, dummodo improbum fenus non intendatur, subsistit.*
5. *Debitor ob&eratus ante motum concursum uni ex creditoribus recte solvit.*
6. *Idem in cessionibus, delegationibus, adsignationibus iuris.*
7. *Debitor ob&eratus res suas ante motum concursum uni ex creditoribus recte in solutum dat.*
8. *Creditores tamen hypothecarii res adhuc extantes vindicant.*
9. *Earum etiam rerum, quæ post institutam actionem consumpta sunt, aestimationem condicunt, non vero earum, quæ ante.*
10. *Creditor, qui post mortem debitoris ob&erati suum ab hereditibus consequutus est, nihil tamen restituit, et si postea, orto concursu, heredes hereditatem aditam repudient, arg. L. 22. §. 4, & 8. C. de Iure delib.*
11. *Creditor chirographarius, qui debitorem ob&eratum & suspectum esse animadvertisit, pignus sibi ab eo constitui, impune curat.*

12. Si

2. Si tamen, dum alii iam instabant, per collusionem pignus accepit, his in concursu postponitur.
13. Aliis vero, qui non institerunt, præfertur.
14. Quando debitor, excitato ab aliquibus creditoribus concursu, uni gratificatur, hi soli, qui concursum excitarunt, gesta revocant.
15. Tunc tamen concursus ab uno aut aliquibus excitatus prodest omnibus, quando vel edictalis citatio, vel missio in bonorum possessionem, vel arrestum accedit.
16. Fiscus creditor & non adquisita revocat, & id, quod unius ex ceteris creditoribus etsi ante concursum solutum fuit, recte condicit.
17. Fiscus concreditori potiora iura habenti id, quod huic solutum fuit, extorquere nequit,
18. ne tunc quidem, quam pecunia huic soluta fiscalis fuit.
19. Creditor, imminente licet concursu, res debitoris sui vi, vel clam occupare non debet.
20. Si occupaverit, cogitur eas restituere, ius crediti tamen non amittit.
21. Etiam is creditor, qui iudicis quidem ope sed modis illegitimis adhibita, ante concursum, suam consequens est, ceteris creditoribus actione Pauliana ad communicationem tenetur.



**C**Vi volupe est, studiis doctrinæ ducere vitam  
Vtiliter, facili polleat ingenio.  
Huic indefessum studium si iungit, eique  
Est virtutis honos ac probitatis amor,  
Per dulces tandem poterit gustare, Camonæ  
Quos spondent, fructus; Gloriam & omne decus.  
Haec tenus HÜBLERVS doctas grassatus in artes,  
Præcipue Themidos maxima cura fuit.  
Lipſia testatur studium & probitatis amorem,  
Virtutis testes arva paterna voco.  
Doctrinam, ingenium demonstrant scripta venusta,  
Pectore quæ docto protulit ille suo.  
Nunc merito & fructus studiorum gustat amœnos,  
Dum lauro cingit tempora sacra Themis.  
Gratulor ex animo, meritos sic cedere honores,  
Lætor spem Patris sic cecidisse benè!  
Auguror: HÜBLERV Mox præmia plura sequuntur;  
Virtutem semper præmia digna manent.

Eruditissimo Dno, Hüblero, Affini  
suo suavissimo gratulabundus po-  
suit Cellis Luneburgicis

### ESAIAS PVFENDORFIUS,

S. Reg. Maj. M. Brit. à Consilio  
Aulis & Justitiæ in Cancellaria  
Electoralis & Curia provinciali  
Ducatus Luneburgici.

Chem-

**C**hemnitium vitam & studij primordia: majus  
Ast incrementum Lipsia culta dedit:  
Julia nunc summos tribuit Doctoris honores:

Adsit porro D E I gratia larga Tibi!  
gratulabundus pio affectu precatur

QYT M. MARTINVS HÜBLER,

Freibergæ in Hermunduris ad D.  
Jacobi Diaconus.

**C**Armina poscit amor. Sed quæ TIBI carmina mittam,  
Dum novus in placido vertice fulget honor?  
Non ego vulgari vellem TIBI plaudere more,  
Qua tamen incedam, nescius ipse, via:  
An ego præclaras, TIBI quæ, Clariſſime, dotes,  
Ingenium, TIBI quod contigit acre, canam?  
An. quam sit studiis cultum TIBI nobile peccus,  
Quam TIBI sit Sophia, quam sit amica Themis?  
Non faciam. Nec enim sunt laudibus indiga nostris,  
Cunctis quæ dudum me sine nota patent.  
Castalia Philura sitim quæ fonte levavit  
Explévitque TVAM, Lipsia testis erit.  
Lipsia testis erit. Cupidum nam quinque per annos  
Candida TE grato nutrit alma simu.

Lipsia, quæ dudum, laurumque locumque Magistri,  
TE duxit dignum, cui daret æqua sui.  
Julia testis adest. Huic nam quoque dignus haberis,  
Quem mox supremo cingat honore Themis.  
Attamen ut non sit nostrum, TIBI dicere laudes,  
Est tamen officii pars celebranda mei.  
Opto, TIBI sit latus honor, sint præmia fausta;  
Sit bona fors lateri juncta Themisque TVO.

Nobilissimo Doctissimo Domino Candi-  
dato, Cognato suo dulcissimo versiku-  
lis hisce animum suum sanequam hi-  
larem probare voluit

Cellis Luneburgicis  
XI. Cal. Jun. circ 10 cxxix.

FRID. ESAIAS PVFENDORFIUS

Jur. Cand.





1. Etiam quodcumque deus  
2. dicitur deus deus deus deus  
3. dicitur deus deus deus deus  
4. dicitur deus deus deus deus  
5. dicitur deus deus deus deus

Kirche ist der heilige geist  
2. Kirche ist der heilige geist  
3. Kirche ist der heilige geist  
4. Kirche ist der heilige geist

Die Kirche

A  
IN  
B






**ULB Halle**  
005 826 144

3



WDR





B.I.G.

IVRALIS IVRIDICA

E

ITO  
EM VXORIS  
REDITORVM  
IANTE

RVM ORDINIS CONSENSV

ÆSIDIO

SSIMI VIRI

LEYSERI  
ENSIBVS ET LVNE-  
IN TRIBVNALI GVEL-  
IN ACADEMIA IULIA IVRE-  
ANI AC PROMOTORIS  
FICI

CENTIA  
MOS IN VTROQVE  
DOCTORIS PRIVILEGIA  
EGIA ELECTORALI ET  
ACADEMIA  
III MDCCXXIX.

MAIORI

POMERIDIANIS  
EXAMINI SUBMITTIT  
RESPONDENS

LTHASAR HVBLER  
IS MISNICVS.

STADII  
CHNORII ACAD. TYPOGR.